

00  
A  
01





Insp  
Acte  
Ach  
Aes  
li  
Parad  
Pnscig  
Ant  
Alt  
Ahn  
Am  
Hab  
d. H

offic  
Mag  
An  
Br





DISSERTATIO POSTERIOR  
**IMBECILLITATEM**  
**LUMINIS NATURALIS**

in demonstrando  
**STATU MENTIS HUMANÆ**  
**POST MORTEM**

uberius coarguens,

Quam

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**FRIDERICO WILHELMO,**

MARCH. BRANDENB. & ELECTORAT. HEREDE.

&c. &c. &c.

*suffragante Amplissimo Ordine Philosophico,*

**P R O L O C O**

in Eodem rite obtinendo,  
piæ Eruditorum censuræ submittet

**M. JOH. GVILIELMUS à LITH,**

Onolzbaco-Francus,

RESPONDENTE

**HENRICO FRIDERICO EGERO,**

Gotha-Thuringo,

*a. d. Aug. M DC XCVIII.*

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



DISERTATIO POSTERIOR  
IMBECILLITATEM

LUMINIS NATURALIS

*1. Cor. III, 19, 20.*

Sapientia mundi hujus stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: carpit sapientes in versutia ipsorum. & rursus: Dominus novit, RATIOCINATIONES sapientum esse Vanas.

*1. Cor. I, 21.*

Quoniam mundus per suam sapientiam non cognovit Deum (*et mysterium voluntatis divinae de aeterna salute nostra*) in Dei sapientia: placuit Deo per stultitiam praedicationis servare credentes.

M. JOH. GUILIELMUS & LITH.

Quolzbach-Franck

RESPONDENTE

HENRICO FRIDERICO EGGERO.

Gotha-Thuringo

die 14. Julii 1793

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZETTLERII, Acad. Typ.







*Deus iuva!*

S. I.



Nter innumera beneficia, quæ Christus Servator noster in nos contulit, est certe illud non mediocre nescio quod, sed quantum esse potest maximum, quod non solum morte sua vitam atq; incorruptibilitatem nobis acquisivit, sed eandem etiam per Evangelium suum in lucem & conspectum nostrum produxit, 2. Tim. I, 10. & mo-

lestissimo domino nos liberavit, scil. terrore sempiterno & diurno nocturnoque metu *mortis*. Cum enim & ex Aristotelis sententia, *l. 3. Nicom. c. 9.* & pene totius humani generis consensu mors sit *φοβερώτατον τι*, *res maxime horribilis*; Christianus, qui se immortalem esse, & per ipsam mortem ad meliorem vitam transire credit, non horret eam, sed ultro desiderat, ac hilari animo expectat. Quod quantæ sit felicitatis, a paucis satis diligenter pro rei dignitate pensitari solet; nec possumus sane illam ita, ut par est, æstimare, nisi quando cum ea infelicissimam Gentilium conditionem comparamus. Miseri homines, atq; ut multis nominibus, ita hac etiam in re maxime miserandi, cum aut plane essent *spei expertes*, 1. Thess. IV, 13. aut

A 2

certe

332



certe firmo ejus idoneoque fundamento destituti, huc il-  
 luc fluctuarent: quanto horrore solebant expectare mor-  
 tem! quam inviti obire! quam solcite simul & inaniter  
 remedia adversus istum pavorem conquirere! Vid. *So-*  
*cratis Apol. c. XI. Sen. Ep. LXXXII.* Extant equidem exempla  
 nonnullorum, qui vel ultro mortem sibi consciscerent,  
 vel in ea obeunda intrepidum præ se ferrent animum.  
 Sed cave putes, hos semper sapientiores & feliciores, re-  
 liquis fuisse. Miseria sua plerosque & desperatio me-  
 lioris fortunæ, tædiumque vitæ, cujus molestias ferre non  
 didicerant, ad ista consilia perpulit. Multi ad ferocitatem  
 atque audaciam natura compositi, cum se mortem nullo  
 modo evitare posse cernerent, quem post paucos annos  
 naturæ reddendum esse noverant spiritum, gloriæ po-  
 tius ultro impendendum rati, vel sua vel hostili manu  
 maturaverunt mortem, ni sponte accerferetur, sponte  
 adventuram. Et hos quidem, meliora desperantes, sola  
 eaque incerta spes inanis nec ullo ad ipsos sensu perma-  
 naturæ gloriolæ consolabatur: reliquos quanta tenuerit  
 mortis averfatio, & quam miserabile immortalitatis de-  
 siderium, ex Plutarchi lib. *Non posse suaviter vivi sec. Epic.*  
*§. IV.* satis superq; patet. *Homines, inquit, ubi liberos, uxores,*  
*amicos amiserunt: esse eos alicubi & durare etiam in miseria ma-*  
*lunt, quam omnino periisse & in nihilum redactos videri: iidem*  
*ergo libenter audiunt ista vocabula, quibus eum, qui moritur, no-*  
*tantes, migrare aut commutare dicimus, aut quæ alia mortem non*  
*interitum, sed mutationem animæ eventientem significant. Eam*  
*vero mortis faciem ut terribilem, tetricam, tenebricosam omnes re-*  
*formidant, quæ sensuum privatione omnium, oblivione & ignorati-*  
*one describitur: turbanturq; cum mortuum audiunt periisse, sub-*  
*latum esse, non jam esse amplius: hoc enim illud ipsum est, a quo*  
*sibi natura metuit,*

Sed



Sed vos in terram cuncti redeatis aquamque.

*Parum abest, quin dicere ausim omnes utriusq; sexus homines paratos esse, se Cerbero dilaniandos permittere, & in dolium Danaidū aquam congerere, ea lege, ut esse detur, neq; prorsus aboleantur.*

§ II.

Ut itaque isti tantæ immortalitatis cupiditati aliqua-  
tenus velificarentur: omni studio eò incumbabant mise-  
ri, ut aliam post hanc superesse vitam, & sibi & suis per-  
suaderent. qua in re quantumcunque moverunt, pro-  
moverunt tamen perparum. Quamvis enim multi eo-  
rum aliquam præ sese tulerint immortalitatis spem; cu-  
jus vestigia passim diligenter annotarunt *B. Calixtus*, &  
*B. Hildebrandus lib. de immortal. anim.* nec non Excellentis-  
simus *Dn. Ludovicus* noster peculiari Dissertat. de *Concent.*  
*omn. gent. circa vit. et.* ipse tamen *Hildebrandus lib. de vita*  
*et. p. 20. 21.* fatetur, *Ethnicos spe certa, indubia atq; infallibili fu-*  
*isse destitutos, quin & plerosq; per infidelitatem in reprobum sen-*  
*suum coniectos, omnem vitæ æternæ spem abjecisse.* Graviter et-  
iam hanc in partem *B. Lutherus* disserit *Tom. V. Alt. f. 1218.*  
Die Philosophi haben von dieser hohen Sache disputiret /  
aber nachdem sie nicht höher haben kommen mögen / denn  
die Vernunft gibt / ist ihr Ding in dem eitel Traum: und  
Fabelwerck. Aristoteles der disputiret also von der Seelen/  
daß er mit Fleiß das dahinden läßt / ob die Menschen un-  
sterblich sind. Plato der hohe Philosophus erzehlet anderer  
Leute Meinungen / schleuffet auch für sich nichts. In Sum-  
ma mit Menschen Vernunft ist dieser Artikel nicht zu be-  
greiffen / sondern allein der Heilige Geist der lehret und ma-  
chet die Herzen gewiß / daß sie daran nicht zweiffeln. *Id. f.*  
*1219.* Gar keinen Menschen findet man unter der Sonnen/  
der ohne Gnade des H. Geistes könne gewiß gläuben / oder  
auch wissen und sagen / daß nach diesem Leben die Seele blei-  
be / und



be/und noch ein ander Leben sey. Denn da siehet die Vernunft nicht anders/ denn daß einerley Todt alles dahin nimmt/ und daß es mit dem Menschen und Vieh aus ist. P. p. Durch diese Sprüche (Eccles. 3.) sind hie aller Philosophen speculationes getadelt/ da sie viel forschen/ ob die Seel unsterblich sey/da doch Vernunft da nichts erlangen kan.

§. III.

Cur igitur tam multa de animorum immortalitate disputaverunt Philosophi? Certe non quod firmam certamque de ea conceperint fiduciam, sed quod spem suam qualibet ratione alere, & horrorem mortis lenire jucundum erat. Unde illæ voces Ciceroniani istius Auditoris, *Tusc. quest. l. I. qui, primum, inquit, ita esse velim, ut animi, cum a corporibus excefferint, in cælum quasi in domicilium suum perveniant: deinde etiamsi id non sit, mihi tamen persuaderi velim.* Sic & Cato apud eundem Ciceronem *lib. de Senectute, quod si, inquit, in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant.* Manifestum est itaque ex his aliisque locis, Gentiles in istis disputationibus suis non tam argumentorum evidentiam, quam vota atque desideria sua esse secutos. Etenim quænam erant illa argumenta, quibus innitebantur? Nonne ferme omnia ex sola animæ natura desumpta erant? Hac autem quid obscurius? quid implicatius? atque, etiamsi eruditis eam plane perspectam fuisse concesserimus, (quod ipsum tamen nondum concedo) a vulgi saltem notitia quid remotius? Nam & inter nostrates quotusquisque ita potest revocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere, ut naturam aliquam ab omni corporea

porea



porea distinctam recte animo comprehendat? Hinc factum, ut quæ Gentiles de vita mortuorum fabulabantur olim atque etiam hodie fabulantur, fere cuncta sint eiusmodi, ut sine corporibus nec fieri possint nec intelligi. Quapropter hac in re vel stupiditatem ipsorum pene incredibilem, vel insignem fingendi audaciam agnosce licet, quod cum corpora aut cremata aut putrefacta scirent, & ipsos eorum cineres adhuc in manibus haberent, ea tamen vel sub terra, qua premebantur, vel in aliis nescio quibus mundis iam nunc vitam, priori haut multum absimilem, agere dicuntur.

§. IV.

Neque vero putandum est, *Eruditiores* Gentilium, qui sublimiorem animorum notitiam sibi arrogabant, de illorum immortalitate multum ultra vulgus sapuisse. Imo si diligenter attendemus, cernere licet, eorum principes vel negasse caput hoc salutaris doctrinæ, vel aperte dubitasse, vel saltem tam exiguo argumentorum pondere confirmasse, ut non sit dubium, quin ipsi de eorum firmitate cum maxime dubitaverint. Ratio quippe luce Spiritus S. non illustrata quanto acutius videre videtur, tanto magis cœcutit in rebus divinis, nimiaque sua agilitate homines ad superbiam, ad contentiones, ac γνώσιν ψευδώνυμον aptos, ad veritatis autem cœlestis perceptionem, Deique & mysteriorum divinorum salutarem agnitionem omnino ineptos reddit: quod proh dolor! pauci in Academiis satis perpendunt, plerisque litterarum cultoribus cerebrum modo inanium speculationum farragine replentibus, emendatione voluntatis susque deque habita. Ne quis tamen me iniuriam magnis illis Philosophiæ numinibus facere existimet, cum Hildebrandus aliique doctissimi Viri universalem eorum

con-



consensum urgere soleant, sic plane, ut Mornæus ne Epicurum quidem dissentire sinat: ordine Sectas Philosophicas percensebo, & earum hac de re placita breviter exponam.

§. V.

Initium faciam a *Sinensibus*, quoniam illi, se bis tanto oculatiores, quam Europæos, esse gloriantur. Præcipua inter illos & *eruditionis* nomine & virtute & dignitate est *Confutiana*, Litterata κατ' ἐξοχήν dicta. De hac *Nicol. Trigautius*, Jesuita XXX annos in Sina commoratus, & præter ceteros diligens rerum istius gentis observator, l. 1. de *Christ. exped. adv. Sin. c. 10.* refert, quod animas una cum corporibus aut post extingui doceat, neq; probis cælum, nec improbis inferorum cruciatus assignet. Tametsi vero in eodem regno alia Secta sit, *Sciequia* vel *Omitose* appellata, quæ animum immortalem & alterius vitæ præmia proponit: horum tamen hominum vita tam est perdita, vitiisq; ac flagitiis omnibus inquinata, ut nemo minus de futuris recte factorum præmiis scelerumque pœnis cogitare videatur. V. *Varen. Religions- Bericht* p. m. 1004. 1005. Ad minimum vel hoc exemplo patet, non semper eos, qui maxime orthodoxi sunt, errantibus meliores esse, sed sæpius eos, qui in intellectu errore nonnullo aspersi sunt, vitæ tamen morumq; bonitate rectis istis opinatoribus (hoc enim significat vox ὀρθόδοξος) longe antecellere. Qui sapit, ita studet opinionum accurationi, ut de vitæ ἀνεπίβλητα potissimam semper curam gerat. Sinensibus & terrarum situ & doctrinis proximi sunt *Japanenses*. Inter eos cum XII. Sectæ floreat; una quidem animorum æternitatem profiteri dicitur: pleriq; tamen Sacerdotes eandem tam publice, quam privatim pernegare solent. V. *Christ. Arnold. Not. ad Caron. Beschreib. des Reichs Japan.* p. 152. Quidam omnino nullam inesse in hominibus animam,  
nec



nec nisi in hoc mundo Nemesin timendam esse contendunt. *Caron* p. 155. Inter *Bramines* etiam, qui vulgo pro certissimis immortalitatis defensoribus habentur, duæ sunt Sectæ eam negantes, & altera quidem eorum, cui *Schaerwaecka* nomen, probitatis ac innocentiae fama insignis. Vid. *Roger. Part. I. des Indianischen Heydenthums* cap. 3.

§. VI.

Propius ad nos attinet notitia Philosophorum *Græcorum* ac *Romanorum*, quorum doctrina non fama solum, sed scriptis etiam ad nos perlata, tantam admirationem atque auctoritatem in animis Pseudo-Christianorum iam per multa secula habuerunt, ut nemo Philosophi nomen tueri posset, qui non in Gentilium istorum nugis plurimum consumserit temporis. Puto non operæ pretium esse, ut *Orpheum* aliosque *Philosophia Mythica* in *Græcia* Autores ea, quæ de statu animarum post mortem commenti sunt, non ad asserendam serio earum immortalitatem, sed ad vulgus ludificandum scripsisse, ostendam. Quid enim istis fabulis absurdius esse queat? Ne id quidem necessarium duco, ut argumenta, quibus *Cicero Tusc. q. l. i. priscos suos Cascos immortalitatis habuisse spem* efficit, prolixè examinem. Quid enim istis levius? Propero ad eos, qui serio atque cum cura philosophabantur, & primum quidem *Jonicos*: sunt enim ii antiquissimi. Primus eorum *Thales*, primus etiam *immortales animas dixisse* perhibetur. Hoc ipsum pro nobis facit, quod *primus* id dixerit: unde conficitur, Græcos ante ipsum nullam ejus rei notitiam habuisse. Possèm hoc ipsum in dubium vocare, an illud statuerit *Thales*, cum, ex quorundam sententia, animos ex aqua constare crediderit, aquæ autem fluida natura immortalitati plane repugnet. Sed nihil hic moveo. *Dixerit fane Thales,*

B

immor-



immortales esse animos : an firmiter idem crediderit , quæ-  
 ro. Discipulus vero eius *Anaximander* ne dicere quidem id  
 potuit. Cum enim ipsos Deos longis intervallis oriri atque oc-  
 cidere statuerit, (v. Cic. l. 1. de Nat. Deor.) qua fronte quæso  
 immortalitatem, quam Diis denegaverat, animabus no-  
 stris attribuisset? Audivit hunc *Anaximenes*, *Anaximenen*  
*Diogenes Apolloniates* : qui cum animæ naturam aëream  
 existimarint, (quod ex Plutarcho, Macrobio, Eusebio &  
 Theodoreto probat Celeb. D. J. A. SCHMIDT, Disp. de Vita  
*Anaxim.* p. 38.) an dubitabimus adhuc, quin eandem aëris  
 instar dissolvi ac dissipari censuerint?

§. VII.

Venio ad *Pythagoram*, cujus sapientiæ ac probitati  
 me multum semper tribuisse, atque adhuc tribuere fate-  
 or, Deoque gratias ago, quod in ipso, Socrate, Hera-  
 clito, Epicteto tantum boni superfuisse animadverti,  
 quantum minime putaram in quoquam Gentilium in-  
 fuisse. Veruntamen minime crediderim, illum de statu  
 animarum post mortem certi quid cognitum habuisse.  
 Unde enim hausisset istam notitiam? Fortasse quod in  
 Ægypto Judæorum consuetudine & familiaritate usus  
 est? Vulgo quidem existimant, *Pythagoram*, *Platonem*  
 & omnes denique Philosophos, qui ultra communem Eth-  
 nicorum sortem sapuisse videntur, a Judæis accepisse  
 præcepta doctrinæ cœlestis, eaque in suam philosophiam  
 transtulisse. At nonne scimus ex Act. X, 28. *Judæis nefas fu-*  
*isse conjungi aut accedere ad alienigenam*, eorumque animos  
 non admodum propendisse ad mysteria suæ fidei temere  
 inter quosvis divulganda? Quid, quod magna ipsorum-  
 met pars doctrinam de vita æterna non ea, qua par erat,  
 fidei firmitate amplexa fuisse videtur? Cur enim Deus,  
 nisi se ad istam ipsorum ὀλιγοπισίαν accommodasset, ipsos  
 in lege



in lege Mosaica pollicitationibus felicitatis temporalis magis, quam æternæ ad bene agendum invitasset? cur in tota lege tam raræ cōminationes pœnarum æternarum? unde ille tantus in viris etiam piis metus mortis? unde ardentissima illa vitæ diuturnæ cupiditas, si firma satis fide spem vitæ alterius multo felicioris, mortem statim consecuturæ, præsumserant? unde ingens illud desiderium immortalitatis qualiscunque per liberos seu naturales seu adoptivos & per perpetuam generis propagationem acquirendæ? Non equidem nego, illos ex Exod. III, 6. consilium Dei de servandis pie defunctorum animabus colligere potuisse: sed multos id non collegisse, multis, qui id colligebant, fidei *πληροφορίαν* defuisse dico. Etiam si vero nonnulli Judæorum fuerint Pythagoræ ævo, quibus arcana Regni Divini clarius revelata erant: vix tamen tam sanctum fontem ea, quæ Pythagoras de fati animorum post mortem docuit, sapiunt: nisi fortassis existimare velis, eum aliter docuisse, aliter sensit; quod equidem ipse credo, at nullam tamen causam reperio, cur si divinæ veritatis hac in re fuisset gnarus, eam apud discipulos suos dissimularit, cum tamen illa doctrina longe utilior ipsis fuisset futura, quam fictio *μετεμψυχώσεως*.

§. VIII.

Certum itaque ex divina *Revelatione* non fluxisse dogma Pythagoricum: an igitur ex *traditione humana*, & fortassis *Gallicorum* vel *Ægyptiorum* sacerdotum? Vulgaris est hæc sententia: sed quis tanto Philosopho tam vecordem adscribat credulitatem, ut barbarorum superstitionem sine probatione ulla cæco approbaret iudicio. *Rationibus* fortasse motus est. quibusnam? eæ sane, quibus ipsa animarum *immortalitas* probari solet, non satis solidæ sunt: pro *ista revolutione* vero ne quidem, quod veri speciem habe-



at, afferri quicquam potest. Quin jam pridem Cicero Tusc.  
 Quæst. l. I. observavit, Pythagoram sententiæ suæ rationē  
 haud reddidisse, cum tamen id in numeris & descriptio-  
 nibus explicandis fecerit. Neutiquam vero probabile  
 est, ipsum si qua nixus fuisset ratione, eam taciturnum fu-  
 isse. Cum itaque nec ex revelatione, nec ex ratione ista  
 acceperit placita Pythagoras: restat, ut ea non ipse serio  
 pro veris habuerit, sed potius aliorum gratia finxerit.  
 Erat quippe hæc consuetudo veterum philosophorum,  
 ut dummodo *affectus* discipulorum suorum corrigerent,  
 haud vererentur *intellectum* eorum variis fallere fictioni-  
 bus, plus referre rati, ut *vitiis*, quam ut *erroribus* liberen-  
 tur animi. Unde Platonis illud l. 2. de Leg. *Legislatorem*  
*non debere indignum sua gravitate putare, mentiri ad Juventu-*  
*tem aliquid bono publico, sic ut non vi, sed sponte discant juste vi-*  
*vere.* Sic etiam in compendio Legum Platoniarum lib.  
 40. dicitur: *falsa dicere ad vera & bona civibus suis, præsertim*  
*junioribus rudioribusq; persuadenda, Legislator audeto.* Clemens  
 Alexandrinus idem confirmat exemplo medicorum, qui,  
 præsertim in curandis Melancholicis, multa sæpius falsa  
 narrare, aut iis assentire coguntur. Verba ipsius l. 7. Strom.  
 hæc sunt: ὁ γνωστικὸς ἰδίαν σωτηρίαν ἠγάμενος τὴν τῶν πέλας ὠ-  
 φέλεια, ἀληθῆ τε φρονεῖ ἅμα καὶ ἀληθεύει, πλὴν εἰμὴ ποτε ἐν θερα-  
 πείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσῶντας, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν καμνόν-  
 των ψεύσεται.

§. IX.

Usus est præ ceteris hac fingendi licentia Pythago-  
 ras, interdum etiam pene abusus. Ita, cum in Italiam ve-  
 nisset, subterraneam fecit domum, matriq; mandavit, ut  
 quæ absente ipso contingerent, tabulis inscriberet, tem-  
 pusque adnotaret; deinde descendit ipse: mater interea  
 id fecit. Anno autem exacto ascendit Pythagoras ex ef-  
 fossa



fossa domo squalidus ac macie confectus, advocataq; con-  
 cione dixit, ex inferis se ascendere, utque fidem sibi face-  
 ret, recitavit, quicquid se absente evenerat. Quibus di-  
 ctis commoti in lacrimas ejulantisque proruperunt, &  
 Pythagoram divini quippiam habere existimantes, se su-  
 osque illi in disciplinam certatim dederunt, ut quippiam  
 ex illo addiscerent. Hæc ex Hermippo *Diog. Laert. in vit.*  
*Pyth.* Quale porro illud ipsum est, quod, eod. Laertio re-  
 ferente, de statu animarum post mortem aliquando nar-  
 ravit? scil. *eas in terram ejectas, in aere vagari corporis similes:*  
*porro Mercurium animarum questorem esse, atq; ideo ductorem di-*  
*ci, janitorem ac terrenum, quod is ex corporibus & ex terra & ma-*  
*ri animas immittat, & puras quidem atq; purgatas in excelsum*  
*ducat, impuras vero illis ne appropinquare quidem, neq; invicem*  
*sibi ipsis, ceterum vinciri a furiis infractis nexibus.* Qua fabula  
 & illam alteram metempsychoseos hypothesin destruxit,  
 & suum quidvis comminiscendi animum aperte prodi-  
 dit. Dies deficiat, si cunctas ejusdem fabulas enu-  
 merare velim: ipsa illa oratio, qua suæ animæ per  
 alia atque alia corpora migrationes enumeravit, quam  
 fabulosa est! & quam audacter conficta! Dicere sole-  
 bat, se fuisse aliquando Æthaliden, ac Mercurii fili-  
 um putatum esse, monitumque a Mercurio, ut pe-  
 teret, excepta immortalitate, quicquid vellet, petiisse, ut  
 vivens & vita functus omnium, quæ contingerent, memo-  
 riam haberet: itaque & in vita meminisse omnium, & e-  
 andem memoriam post mortem servasse, atque ali-  
 quanto post in Euphorbum venisse, ac a Menelao fuisse  
 vulneratum; postea Hermotimum, rursus Pyrrhum,  
 postremo ex Pyrrho Pythagoram effectum esse, omnia-  
 que recordari, quæ modo diximus. *Diog. Laert. l. c.* Hæc  
 aut *delirio* aut *joco* dicta esse oportet: nullo enim modo fi-



eri potest, ut vir sanæ mentis talia totq; circumstantiis vestita mendacia de semetipso sibi met ipsi persuadeat. Delirasse autem Philosophum sapientissimum, quis dixerit?

§. X.

Omnia igitur finxisse ista videtur Pythagoras: veruntamen, ut opinor, non animo ludificandi homines vel se inani gloriolæ cuiusdam accessione locupletandi, sed partim ut sub istis involucribus ac ænigmatibus (quibus ipsum assidue usum esse constat) *μυσικόν τι* innueret, partim ut istis vel pollicitis vel minis auditores a vitiis ad bonam frugem traduceret. Sic quando se Æthalidem, Euphorbum & reliqua fuisse finxit, *morum similitudinem*, quæ ipsis cum illis defunctis intercedebat; per istam vero memoriæ excellentiam, qua Mercurii beneficio omnium ante actorum meminerit, *insignem historiae notitiam* significasse videtur: hac enim re, Heraclito teste, omnibus hominibus excelebat. Porro quando, ut Jamblichus refert, ijs qui discendi causa ipsum accedebant, explorato prius ipsorum ingenio ac moribus, statim deinceps vel hominem vel bestiam nominabat, ex cuius corpore animæ ipsorum descenderint: nonne manifesto prodidit, se non tam animarum originem, quam vitæ similitudinem indicare, & ignominiosa brutorum comparatione brutos eorum affectus accusare, ac animos iusto pudore confundere velle?

§. XI.

Illâ vero fabula de Mercurio pias impiasque animas pro suo qualque merito excipiente, item altera, quando animas bonorum in humanas, improborum in fœdisimarum bestiarum formas transire finxit, id sibi habuit propositum, ut spe præmii ac comminatione penarum a peccando deterreret quos sola virtutis, ac honestatis



statis dulcedo ad bonam mentem reducere nequibat. Eadem de causa Plutarchus etiam *lib. non posse suav. viv. sec. Epic. §. 54.* dogma hoc Pythagoræ & Patonis vulgo inculcandum suavit: *injusti, inquit, & mali supplicia in universum poenasque dum timent, earumq; metu a flagitiis sese cohibent ac facilius quiescunt, suavius vivant, ac minus dabunt turbarum. Ergo his ultro propinanda est superstitione, concitandaq; adversus eos omnia terrorum genera, quæ cælo & terra suppeditantur, hiatusque & metus, & suspiciones: siquidem his perculsi honestius vivant atque placidius. Magis quippe in rem ipsorum est, ut metu eorum, quæ mortem sunt consecutura, sibi a flagitiis temperent, quam facinoribus malis perpetratis vitam in metu ac periculis traducant. Atque hoc ipsum etiam Pythagoras in istis fabulis confingendis spectasse videtur: eadem ejusdem in *esu animalium interdicens* mens erat. Etsi enim Metempsychosios prætextu sceleris hominibus ac parricidii metum faciebat, cavere jubens, ne in parentis animam inscii incurrerent, & ferro morsuque violarent id, in quo cognatus spiritus hospitaretur: revera tamen id potius agebat, ut contraheret materiam luxuriæ, ac valetudini, cui simplex victus longe melius conducit, ista abstinentia consuleret.*

§. XII.

Neque vero dubium est, quin Pythagoras, ut in omnibus doctrinis, ita in hac etiam delectum fecerit ingeniorum, atque pro diversa illorum indole diversas quoque de statu animarum post mortem opiniones ipsis proposuerit. Nam licet vulgo atque etiam junioribus discipulorum, qui terroribus ac minis adhuc coercendi erant, istas de Mercurio & Metempsychosios occinuerit fabulas: sapientiores tamen atque isto fræno non indigentes diversis imbuisset doctrinis: ut ex Plutarchi *lib. IV. de Plac.*



Plac. Phil. c. VII. & Diog. Laert. vit. Pyth. conjici potest. Ille enim narrat, Pythagoram fuisse in ea opinione, quod anima, cum exierint, perveniant in cognatam sibi animam mundi. Quomodo igitur in bruta animantia? Consentanei sunt istis Plutarchi verbis versus ipsius Pythagoræ in aureo, quod ipsi vulgo tribuitur, carmine:

ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθης,  
 ἕσσαι ἀθάνατος θεός, ἀμβροτός, ἔτι δὲ θεῖός.

Quod si relicto corpore in liberum aethera veneris,  
 eris immortalis Deus, incorruptibilis, nec amplius mortalis.

Sed cum ista Carmina Aurea a plerisque pro suppositiis habeantur, iis quidem non magnopere confido: veruntamen ille Plutarchi locus, necnon & alter Diogenis satis evidenter metempsychosin destruunt. Apud hunc sic factur Pythagoras: animalia ex se invicem nascuntur seminali ratione, semen autem est, cerebri stilla, quæ in se continet calidum vaporem, ex eo vapore sensus atq; ANIMA constat. Si igitur Pythagoras animas animalium recens natorum a vapore ex cerebro gignentium derivato oriri statuit: qui poterat existimare, eas ex defunctorum hominum corporibus in animalia transfundi? Denique præcipui Pythagoræ sectatores ab ista animorum migratione alieni erant; quod de Timæo Locro, Archita Tarentino & Philolao Crotoniata probat Morneus cap. XV. de ver. Rel. Christ. His addo celebrem Pythagoræum Sextium, quem Sen. ep. 108. refert animalibus abstinuisse tantum frugalitatis causa, non autem ex superstitioso metu, ne quando bove mactato proavi sui animam violaret. Liberabimus igitur Pythagoram invideo illo metempsychoseos crimine: sed an simul omnem status, qui animas post hanc vitam manet, cognitionem ei denegabimus? Equidem Plutarchi locus modo recitatus defendere ipsum videtur: sed quæcunque fuerit,



fuerit, illius notitia, nec admodum magna, nec satis confirmata fuisse potuit: alias enim nulla ipsi causa erat, quare vera istius status ratione suppressa falsam, atque ad movendos animos non æque efficacem de illo doctrinam in vulgus ederet.

§. XIII. Venio ad vicinos Pythagoreorum Philosophos *Eleaticos*, quorum primarii Xenophanes, Zenon, Parmenides, eorumque æmuli Protagoras & Nausiphanes cum (si Ciceroni *Acad. Question. l. II.* & Senecæ *Epist. LXXXII.* credimus) *nihil se scire, imo ne posse quidem quidquam sciri* existimaverint: hisne sola animæ immortalitas tam clara ac certa visa fuerit, ut in reliquis rebus omnibus *hesitantes* hanc unicam *scirent*? Idem fortassis de Socrate erit ferendum iudicium. Nota vox ipsius, qua se *hoc unum scire* professus est, *quod nihil sciret*: nota timiditas, qua in iis etiam rebus, quas acutissime disputaverat, atque iam aliis persuaserat, ipse tamen assensum sustinere, nec quidquam confidenter affirmare solebat. Quod utique non usque eo extendendum esse arbitror, ut Socrates Scepticorum more ea etiam, quæ sensuum evidentiam vel invitis assensum extorquent, in dubium vocasse putetur: qualia sunt, *existere solem, existere terram, existere homines, se habere caput, manus, pedes*: de quibus ne eos quidem, qui de omnibus dubitare voluerunt, nedum Socratem, virum totius Græciæ sapientissimum, dubitasse credo. Similiter quod de amando Deo, exercenda iustitia, fugiendis vitiis certus plane atque persuasus fuerit, ostendit non solum ipsius confessio *Apol. §. XI.* sed etiam tota vita, honestatis, modestiæ, continentiæ, sanctimoniæ, *Φιλανθρωπίας*, & omnium denique virtutum speciminibus admirabiliter conspicua.

§. XIV.

In rebus autem paulo abstrusioribus nec nisi multa

C

ratio-



rationatione inveniendis quam dubitanter tulerit sententiam, & quam constanter ab omni asseveratione abstinuerit Socrates, vel ex solo Cicerone, (*Acad. Quest. l. I. & II.*) affatim constat, qui pro perpetua, quam in Philosophia tenebat, omnium rerum ἐποχήν nusquam firmiter patrocinium invenerat, quam in exemplo & auctoritate Socratis. Quare minime dubium est, quin in re maximis obstructa difficultatibus, qualis est cognitio *status animarum separatarum*, & in summa *rationum*, quibus ille investigatur, cum paucitate tum obscuritate, *Rationis* suae perspicacitati diffusus, iudicium suspenderit. nisi fortasse ex *revelatione* eam ipsi notam fuisse arbitraris. Et sane ipse istiusmodi quid divinitus sibi obtigisse narrabat in ea oratione, qua apud iudices utebatur iam morte damnatus, §. XXI. *Mibi, inquit, o iudices, mirabile quiddam contigit. Vox enim illa Genii vaticinatrix semper superiori tempore frequenter admodum offerre se consueverat, in rebus etiam levisimis se opponens, si quid minus recte facturus eram. Nunc autem ea mihi, quae videtis, acciderunt, quae profecto putaret aliquis atque existimaret extrema esse malorum. Sed mihi neque mane domo exeunti, adversabatur Dei signum, neque huc ad tribunal adscendenti, neque in ulla sermonis parte, cum verba facerem: quamvis me alias saepe in medio sermonum cursu cohibere consueverit. Nunc autem in hac re nusquam vel agenti vel loquenti est adversatum. Apparet enim, mihi, quod contigit, bonum esse.*

§. XV.

Verum qualiscunque fuerit iste Socratis Genius, [licet enim mihi in causa Socratis more Socratico ἐπέχειν] saltem de statu animarum post mortem exiguam ipsi notitiam suppeditasse videtur. Quamvis enim id pro certo habuerit, mortem non esse in malis ponendam: hoc tamen reliquit in dubio *Apol. §. XXII. utrum mors omnes sensus aufe-*



auferat, an, quemadmodum dicitur, sit translatio anima in alium quendam locum. Quin §. XI. disertis verbis ignorantiam suam confessus est, & in hoc uno se aliis maxime prestare dixit, quod in mortem metuant, perinde ac si scirent, eam maximum esse malorum; ipse contra uti haud sufficienter statum mortuorum cognoverit, sic etiam se eum non nosse agnoscat. Denique cum perorasset, tempus est, inquit, jam hinc abire me, ut moriar: vos, ut vitam agatis, utrum vero sit melius, nemo scit prater Deum. Ecce non sibi solum, sed & cunctis aliis hominibus scientiam futuri post mortem status nostri ab iudicat. Cur igitur in Dialogo Platonis, Phedone, tam multa hanc in partem disputavit? non quod illa ipsi certa ac explorata satis fuerint: nam ipse ibid §. XLVI. ait, haec eo se pacto habere, quo ipse exposuerit, non decere virum sanae mentis asseverare, sed quod, ut ibidem fatetur, dignum existimabat quasi periclitantem ista opinari: & quod, sive vera essent, sive falsa, quae de immortalitate differebat, meditationibus saltem istis molestiam temporis, quod ad vivendum restabat, abstergere volebat. v. §. XXVIII. in Phedone.

§. XVI.

§. XVI. Sed, ut id quod res est dicam, ego Socrati quidem credo pleraque ista nunquam in mentem venisse, quae eum Plato in illo Dialogo loquentem fecit. Scatet enim ille sermo fabellis & conjecturis vanissimis: v. c. extitisse animas, antequam corpora ingrederentur, jam intelligentes; omnem scientiam nihil aliud esse, quam reminiscenciam: necessum esse, ut ex morte oriatur vita, quoniam omnia generentur ex contrariis: ut taceam alia de natura animarum, de ideis, de suprema parte aëris, ab animabus puris habitanda, & s. Quae talia sunt, ut Socrates, qui primus a rebus occultis & ab ipsa natura involutis avocavit philosophiam, & ad vitam communem,



munem, ad quæstiones de virtutibus & vitiis, de bonis rebus & malis traduxit, (*v. Cic. l. I. Quest. Acad.*) ille, inquam, Socrates nunquam potuisset animum inducere, ut opiniones istas pro lubitu confictas defensitaret, nedum ut eas approbaret serio. Sunt igitur isti flosculi e Platonis ingenio enati: qui Socrate defuncto, impatiens simplicitatis Socraticæ, magnam Græciam atque Ægyptum peragravit, & a sacerdotibus barbaris & reliquis familiæ Pythagoricæ numeros, cœlestia, alia, quæ Socrates repudiabat, addidit: cumq; Pythagorei commenta sua negligenter, nec nisi privatis sermonibus confabulantes tererent, Plato eadem in formam scientiæ redacta argutisq; probationibus vestita in publicum emisit. Atq; ex hac schola manavit lepida illa fabula cap. XXI. *tamdiu circumvagari animas, donec cupiditate nature corporeæ comitante rursus induant corpus, induere autem ejusmodi mores, quales in vita exercuerant, alios quidem asinorum, alios luporum, accipitrum, milurum, alios apum, vesparum, formicarum, alias denique rursus humanas induere formas.* Hæc more suo graviter atque ornate, ita tamen exposuit Plato, ut sine dubio multis idem usu veniret, quod illi Ciceroniano, qui se dum legeret istum sermonem, assentitum; cum posuerit librums & secum ipse de immortalitate animorum cogitare cœperit, assensionem illam omnem elapsam esse, ait. *Cic. lib. I. Tusc. Quest.*

§. XVII.

Quid discipulus Platonis ARISTOTELES de immortalitate senserit, magna dissensio est, validis suspicionibus in utramque partem a Scholasticis agitata. Gravis ac iusta Malebranchii reprehensio, qua nimiam Lacerdæ in inquirenda Aristotelis sententia sollicitudinem improbat, *lib. II. de inq. ver. cap. VI* facile mihi metum posset incutere, ne in similem vituperationem & ego incurre-  
rem:



rem: nisi primum propositi diversitas me excusaret; quoniam non veritatem Christianam ex Aristotelo, sed ex illius ignorantia Aristotelis inscitiam redarguere institui. Deinde addit quoque animum auctoritas Megalandri nostri B. LUTHERI, cuius hac de re grave prudentissimumque iudicium omnes *γυναικας* Lutheranos adversus Aristotelicos defendere decet. Verba ejus *Tom. I. Alt. p. 505.* hæc sunt: Lehret doch der elende Mensch Aristoteles in seinem besten Buch de Anima, daß die Seele sterblich sey/ mit dem Körper/ wiewol viel mit vergeblichen Worten ihn haben wollen erretten/ als hätten wir nicht die heilige Schrift / darinnen wir überreichlich von allen Dingen gelehret werden/ davon Aristoteles nicht einen kleinsten Geruch ie empfunden / und des lebendigen Gottes Bücher verhindert / und fast unterdrückt / daß wenn ich solchen Jammer bedencke/ nicht anders achten mag/der böse Geist habe das Studieren herein gebracht.

§. XIIII.

Mira res, audere Lutherum eo ipso ex libro Aristotelem negatæ immortalitatis insimulare, ex quo alii potissima pro eadem testimonia depromere solent. Nec possumus sane inficias ire, sæpe in istis de Anima libris Stagiritam attribuere homini intellectum quendam sempiternum atque immortalem. Sed si accuratius non tam ad sonum, quam ad sensum verborum attendemus: patebit, Aristotelem loqui de nescio quo intellectu agente, qui instar formæ assistentis operationes animæ nostræ adjuvet, & ista immortalitate nec ipse fruatur, nec reliquas essentiæ nostræ partes juvet. Audiamus verba ipsius ex *Lib. I. de Anim. t. 65. 66.* *Intellectus, inquit, videtur inseri substantia quædam existens, & non corrumpi. Ecce illum intellectum immortalem!* Sed pergamus.

C 3

telligere



telligere & ipsum contemplari marcescit, alio quodam interius corrupto: ille vero impassibilis est. Cogitare vero & amare & odisse non sunt illius passiones, sed ejus, quod illum habet, quatenus illum habet. Quare & hoc corrupto neque meminit, neque amat: non enim illius est, sed communis, quod quidem destructum est. Quid proderit quæso illa immortalitas, in qua nihil intelligere, nihil contemplari, nihil cogitare, nihil meminisse, nihil amare, nihil odisse poterimus? Imo nonne *morti* immortalitas illa similior est, quam *vita*? Esto intellectus iste *passionis expers*: vereor, ne & *actionis*, quid enim aget, qui neque *intelliget*, neque *contemplabitur*, neque *cogitabit*, neque *meminerit* quidquam?

§. XIX.

Equidem si Aristoteles tantum actiones quasdam naturales & modum agendi in hac vita consuetum negasset: tolerari, imo etiam defendi deberet. Jam vero cum & *naturales omnes*, contemplationem, Cogitationem & Amorem omnem menti detraxerit, & *supernaturalia* ἢ δὲ ὑπερφυσικά τῶν θεῶν ignoraverit: quid superest, quam ut omnino ex *impassibilibus inagibiles* (liceat barbare loqui) atque adeo ista sua immortalitate ex *vivis mortuas* Mentis fecerit? Conferamus & reliquos Philosophi libros: nam illi de Anima sunt paulo obscuriores. Tertio, qui de *Moribus* agit, libro *Cap. IX.* mortem ait esse omnium rerum maxime formidabilem. Quid ita, si non toti morimur, sed melior, atque ut ipse *lib. de An.* ait, *divinior* nostri pars superstes est? si non *finis* est mors, sed *melioris vitæ initium*? Verum, inquit Aristoteles, FINIS utique est: & nihil videtur mortuo bonum, nihil etiam malum esse. Quid est refragari piæ immortalitatis spei, si hoc non est? Conf. *l. I. de Mor. Cap. XI.* (al. X.)

§. XX.

Paulo melius de durabilitate animorum senserunt

Stoici:



*Stoici: nec ii tamen optime. Docuerunt enim, animas in-  
eruditorum exeuntes e corpore simul cum concreto interire: at va-  
lidiore, quales sunt sapientum, durare usque ad conflagrationem.  
Plutarch. de Plac. Phil. Lib. IV. Cap. VII. Confer Diog. L. in  
Zen. Hinc false exagitat ipsos Tullius lib. I. Tusc. quest.  
Stoici, inquit, usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu  
mansuros ajunt animos, semper negant. Quin & princeps ipsoru  
Panætius ne longevitatem quidē concessit: sed animos, quam-  
primum e corpore excefferint, interire statuit. Vid. Cic. ib. Sed etiā  
reliqui Stoici, qui immortalitatem contra Panætium de-  
fensitabant, lubrico nimis ac imbecilli sententiæ suæ fun-  
damento utebantur, natura sc. Mentis, quam ipsi pro sub-  
stantia ætherea, & ab aëre nonnisi tenuitatis nomine di-  
versa adeoque dissipabili habuerunt. Unde existimarunt,  
animam hominis magno pondere extriti permeare non posse, & sta-  
tim spargi, quia non fuerit illi exitus liber: quos merito repre-  
hendit propterea Seneca Epist. LVII.*

§ XXI.

De ipso Seneca quid dicemus, viro sine controversia  
magno, & si ex scriptis judicare licet, pene singulari: a  
quo me plura sapientissima atque ad omnem vitæ cur-  
sum proficua præcepta haussisse fateor, quam ex omni-  
bus Scholasticorum libellis, quibus Philosophiam ac The-  
logiam moralem disputationi magis, quam vitæ accom-  
modatam tradunt, resque magnificentissimas, virtutem  
ac pietatem, dum per meras abstractions docent, ari-  
das, tenues atque exsuccas reddunt. In ipso tamen Se-  
neca cum multis in rebus, tum in hoc etiam, quod nunc  
sub manu nobis est, argumento desideravi, quod non  
semper idem, sed sæpe sui ipsius dissimilis est. Modo  
omnia videtur viribus hominis naturalibus tribuere:  
modo nullam mentem sine Deo bonam esse, & Deum ipsum ad  
homines,



*homines, immo (quod propius est) in homines venire, ait. Epist. LXXIII. Modo sapientem suum Stoicum seque ipsum ad sidera tollit, nec ullos magnitudini suæ nisi cum Deo communes terminos poni patitur, Præf. ad Nat. quæst. I, I. & Epist. CII. Modo resipiscens suæque infirmitatis memor, multa se habere queritur, quæ debeant corrigi, quæ extenuari, quæ attolli, & ista, quæ probet, quæ laudet, notatum in animo suo habere certam sedem & immobilem, Epist. VI. & LXXXVII. Eodem modo immortalitatem animorum in quibusdam locis affirmat, in aliis dubitat, in plerisque negat. Affirmavit quidem, cons. ad Marc. c. 25. ut mulierculam filio orbatam recrearet aliquantulum, atque a mœrore, ex hujus morte concepto, ad lætitiâ ac spem nonnullam revocaret: item epist. CII. ut semetipsum amœnissima vitæ cœlestis meditatione delectaret.*

§. XXII.

*Dubitanter de ea re pronunciavit Ep. XXIV. Mors nos aut consumit, aut emittit. Epist. LXIII. FORTASSE (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est. Epist. LXV. Mors quid est? aut finis est, aut transitus. Epist. LXXI. Animus aut in meliorem emittitur vitam, lucidius tranquilliusque inter divina mansurus: aut certe sine ullo futuro incommodo, nature suæ remiscebitur, & revertetur in totum. Quin & illa, quæ de animarum æternitate Epist. CII. leguntur, sine certo fundamento, & animi magis causa, quam serio scripta esse, initium ejus Epistolæ ostendit. Credebam, inquit, facile opinionibus magnorum virorum, REM GRATISSIMAM PROMITTENTIUM MAGIS, QUAM PROBANTIUM. Sic etiam in ipsa illa consolatione ad Marciam, ubi vitæ æternæ spem facere videtur, expresse eandem negavit. Nam in fine cap. XXVI. postquam Patrem Marciae ex arce cœlesti multa loquentem indu-*



induxerat, tandem felices etiam animas in conflagratione mundi parvam ruina ingentis accessionem, atque in antiqua elementa versos fore, inquit. c. XIX. Mors nec bonum, nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortune tradit. Mala enim & bona circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. Neque vero hic solum, sed & alias sæpius mortem pro privatione omnis sensus, ac destructione totius hominis, adeoque & animæ habuit. Ita Epist. XXX. mortis metum levaturus, inquit: tam demens est, qui timet, quod non est sensurus, quam qui timet, quod non est passurus. An quisquam hoc futurum credit, ut per quam fit, ut nihil sentiatur, ea sentiatur? Epist. LIV. Ego mortem diu expertus sum. Quando, inquis? Antequam nascerer. Mors est, non esse. Id quale sit, jam scio: hoc erit post me, quod ante me fuit. Rogo non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ pejus esse, cum extincta est, quam antequam accenderetur? Nos quoque & accendimur & extinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Epist. XCIX. ubi consolationem docet, quæ parenti amisso parvulo filio sit adhibenda. Illud potius admone, inquit, nullum mali sensum ad eum, qui perit, pervenire. Nam si pervenit, non perit. Nulla, inquam, eum res ledit, qui nullus est. Vivit, si leditur. Troad. Act. II. Chor. (Tragædias enim a Seneca Philosopho esse confectas, præter alios Delrius l. 2. de Tragæd. c. ult. multis & speciosis probavit argumentis.)

- - Ut calidis fumus ab ignibus  
 Vanescit spatium per breve sordidus,  
 Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,  
 Arctoi Borea dissipat impetus:  
 Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.

D

Post



*Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.*

*Mors individua est noxia corpori, nec parcens animæ.*

§. XXIII.

*Democritum, Aristoxenum, Diocarchum, Epicurum* deniq; & ingentem sectatorum ejus turbam animas nostras quasi capite damnatas morte multasse notius est, quam ut proluxa deductione indigeat. Versantur adhuc in manibus nostris *Lucretii Epicurei* adversus immortalitatem cavillationes: quas *Hamelius* L. IV. de M. H. c. VII. IX. refutatione dignatus est. *C. Plinius* major eadem impietate, qua l. 2. *Hist. Nat. c. 8.* divinam providentiam explofit, l. 7. c. 53. animæ immortalitatem derisit. Innumum est singulos enumerare, præsertim minutos, philosophos: De *Megaricis, Eretricis, Pyrrhoniis, & Academicis* tantum dicam: qui cum nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse, omnia tenebris circumfusa, meris opinionibus fulta, & dubitationi exposita esse sentirent: de immortalitate animorum, quæ certe inter maxima mysteria referri debet, sine dubio dubitarunt maxime. Sed annon & hi inter *minutos* philosophos referendi? Referrem lubens, nisi & *magnum* illum, atque haud scio an dignitate & gloria maximum Latinorum Philosophorum CICERONEM in ista classe invenirem: qui non solum in *Academicis Questionibus* cunctisque fere librorum Philosophicorum *præfationibus* scepticam istam ἀκαταληψίαν, & morem, de unaquaque re in utramque partem, nulla affirmatione adhibita, disputandi, acriter defendit, sed & idem philosophandi genus palam est secutus. Ille igitur pro animorum æternitate *Tusc. Quæst. l. I.* luculenter quidem propugnavit, sed more tamen *Academico*, i. e. tanquam pro re non *vera*, sed *verisimili*: id quod præf. ad Brutum ingenue confitebatur, & mox



& mox in ipsa disputatione: *ea, inquit, qua vis, ut potero, explicabo, nec tamen, quasi Pythius Apollo, certa ut sint & fixa, qua dixerō: sed ut homunculus unus e multis, PROBABILIA conjectura sequens. ultra enim quo progrediar, quam ut VERI videam SIMILIA, non habeo: certa dicent ii, qui & percipi ea posse dicunt, & se sapientes esse profitentur.* Decantabat deinceps syllabatim Platonica pro æternitate animorum argumenta, tanta quidem & prolixitate & gravitate, ut ipse eam prorsus sibi persuasisse videretur. Tandem tamen ultro fatebatur, remanere in animo oppositi formidinem, & inesse in iis rebus obscuritatem aliquam: ideoque Auditorem suum vitæ cœlestis desiderio flagrantem facete ridebat, & postremo concludebat ita, ut mortem malum esse pernegaret, utrum vero occidat animus, an in cœlum proficiscatur, in dubio relinqueret. Quid, quod *Acad. Quest. l. II.* expressis verbis ignorantiam suam hac de re confessus est? *tenemusne, ait, quid animus sit? ubi sit? denique, sitne, aut ut Dicaarcho visum est, ne sit quidem ullus? si est: tresne partes habeat, ut Platoni placuit: an simplex unusque sit? utrum sit ignis, an anima, an sanguis? an, ut Xenocrates, mens nullo corpore? quod intelligi, quale sit, vix potest. & quidquid est, MORTALE SIT, AN ÆTERNUM? nam utraque in parte multa dicuntur.* Horum aliquid vestro sapienti certum videtur: *NOSTRO NE QUID MAXIME QUIDEM PROBABILE SIT, OCCURRIT.* ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta. Imo *lib. XII. epist. XVIII. ad Atticum,* ubi non ex hypothesi Philosophica, sed ex animi sententia scripsit, *mortuum esse expresse vocavit non esse: longum, inquit, tempus, cum NON ERO, magis me movet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. Habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam.*



Et quid miramur, Ciceronem de animarum immortalitate nihil sani statuere potuisse, qui ne quidem de Deo satis certus fuit, ejusque potentiam & providentiam interdum impie traduxit? Horret animus, quot es protervas ejus voces, quas *Acad. Quest. lib. II. & de Nat. Deor. I. III.* effudit, recordor. Illic quidem primum exoptulat cum Deo, quod tantam vim natricum viperarumque fecerit: deinde, *negatis*, inquit, *hæc tam polite tamq̃ subtiliter effici potuisse sine divina aliqua solertia: cujus quidem vos majestatem deducitis usq̃ ad apium formicarumq̃ perfectionem: ut etiam inter Deos Myrmecides aliquis minorum opusculorum fabricator fuisse videatur. Negas sine Deo posse quidquam. Ecce tibi e transverso Lampfacenus Strato, qui det isti Deo immunitatem: magni quidem muneris; sed cum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est æquius habere ipsos deos? Quam profanæ atque adversus divinam majestatem contumeliosæ sint hæc Tullii facetiæ, quilibet videt. Negat, inquit porro, opera Deorum se uti ad fabricandum mundum. quæcunque sint, docet omnia esse effecta natura. Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim potest (cum existimet a Deo securari) non & dies & noctes divinum numen horrere? & si quid adversi acciderit, extimescere, ne id jure evenerit? Habemus hæc manifesta indicia animi admodum irreligiosi, atque aut non credentis Deum, aut non esse eum optantis. Tandem, *nec Stratonem tamen*, inquit *assentior: nec vero tibi (Deum defendenti.) modo hoc, modo illud probabilius videtur. & paulò post: ne exedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo. atque haud scio, an ita sit. Quibus in verbis tantum dubitantis personam sustinet: (neque enim fieri potuit, quin ipsius animum augustus divinæ sapientiæ in creaturis fulgor interdum perculerit)**

ingen-



ingentem tamen ad Atheismum proclivitatem eviden-  
ter indicant cum verba ante memorata, (quæ certe ab  
homine, cui efficax Justissimi Numinis sensus inerat,  
proficisci non potuerunt) tum integer *tertius de Natura  
Deorum liber*: in quo sub Cottæ persona, qui Academiae  
Novæ una cum Tullio erat addictus, acerrime contra  
Deum divinamque providentiam disputavit, nec solum  
ea omnia, quæ reliqui Philosophi ad eandem asseren-  
dam urgere solebant, nefariis modis eludere, sed & in  
contrariam partem, quicquid vel cum levisima verifi-  
militudine afferri poterat, congerere annixus est. Ta-  
mersi vero alias honorificentissimam rerum divinarum  
mentionem fecerit, atque ad finem hujus ipsius Dialogi  
simulaverit, *Balbi*, qui Deorum patrocinium suscepe-  
rat, *disputationem sibi ad veritatis similitudinem videri esse pro-*  
*pensioem*: vix quisquam tamen ita hebeti erit ingenio, ut  
non intelligat, Ciceroni eandem mentem fuisse, quam  
*lib. 1. de Nat. Deor.* Epicuro tribuerat, ut scil. *de Diis  
immortalibus non magnopere pugnaret, tantummodo negare De-*  
*os esse non auderet, ne quid invidia subiret aut criminis.* Quid  
enim? an veram esse dicit sententiam ejus, qui Dei cau-  
sam defenderat? Non. an verisimilem? ne id quidem di-  
cere auder. Quid igitur? **VIDERI illam ad veritatis SIMI-**  
**LITUDINEM PROPENSIOEM.** Sed ni fallor, ne hoc qui-  
dem serio. Nam si illa Atheismi defensio ipsi minus ve-  
risimilis videbatur: quare eam personam non Epicureo  
potius, quam Academico, i. e. sodali suo, imposuit? qua-  
re eidem nullam subjunxit confutationem, cum tamen  
& promiserit eam, & Epicureorum ac Stoicorum sen-  
tencias non impunitas dimiserit? quare denique libros  
de Divinatione adjecit, quibus omnino reliquias argu-  
mentorum, quæ Gentiles reliqui ad Divinitatem quan-



dam Divinamque providentiam probandam adhibebant, sollicitè disturbavit? Neque vero demirari satis possum, quod cum sæpius innoxia optimorum virorum scripta ob paucas voculas vel non bene intellectas, vel temere improbatas supprimantur, atque ex hominum manibus omni studio eripiantur, ille tamen pestilentissimus de Natura Deorum liber (tertium dico: secundum enim vehementer probo) impune ubique volitet, atque incautæ juventuti nullo addito antidoto propinetur: qui etsi nec vere piorum nec superstitiosorum fidem possit labefactare, improbis tamen levibusque ingeniis, quæ libere ac sine ullius Numinis metu victitare malunt, ansam eum, quem metuunt, negandi, atque adeo omnem ejus reverentiam ex animo ejiciendi præbere queunt.

§. XXV.

Ne quis vero existimet, me ea, quæ hæctenus de ignorantia Gentilium Philosophorum scripsi, ex nimio quodam temereque concepto eorum odio profecta esse: sanctè testor, me potius vicem cum ipsorum, tum reliquorum Gentilium, qui fuerunt, sunt & erunt, serio dolere, atque sicut ingenti gaudio cumulor, quoties aliqua boni vestigia in nonnullis deprehendo, ita vicissim intima affici misericordia, dum infinitam illorum multitudinem in Cimmeriis tenebris & crassa cum ipsius futuræ beatitudinis, tum viæ ad eam ducentis ignoratione versatam fuisse & adhuc versari, in mentem venit. Nascuntur mali e malis: educantur inter malos: crescit cum ætate vel improbitas vel superstitio, qua sæpe longe diligentius ficticios colunt Deos, quam nostrates verum illud summumque Numen: *vitam* plerumque in continuo *timore mortis* transigunt, & in *tremore* finiunt, secuturam meliorem atq; æternam vel prorsus desperantes, vel anxie quidem desideran-



derantes, & ansam spei cujusdam ubique captantes, certo tamen fundamento, cui innitantur, destituti, & asidua fluctuatione huc illuc agitati, naufragorum instar, qui ad omnes tabulas, ad omnia saxa manus applicant, nec tamen usquam firmiter consistere possunt. At si miseræ vitæ, miseræ morti infinitam, quæ post mortem erit, miseriam adjicimus: ferreus sit oportet, qui nulla tangatur tantæ turbæ misericordia, nec ad preces pro ipsorum conversione fundendas permoveatur.

§. XXVI.

Interea mihi hoc saltem utilitatis ex consideratione ignorantia Gentilium enascitur, quod illa edoctus intelligo, quanta in caligine atque infelicitate ego ipse versaturus essem, nisi me infinita Dei clementia *ex tenebris* naturæ meæ *ad admirabilem lucem suam evocasset*. Quando ingeniosissimos Viros in maximo subtilissimorum argumentorum apparatu non tamen ad certam de immortalitate fiduciam, imo nonnullos ne quidem ad stabilem firmamque Divini Numinis agnitionem perducere potuisse video: disco desperare de viribus Rationis meæ, & Deum rogare humiliter, ut me ac homines omnes ex inquieto illo & infinito opinionum ac ratiocinationum mari ad tranquillum simplicitatis Divinæque *Fidei* portum ducat. Sic etiam *Ciceronis* & aliorum quorundam philosophorum, honestissimis moribus præditorum, & tamen ad Atheismum propendentium exempla nos monent, ne externam atque civilem morum honestatem pro pietatis indicio vel in nobis vel in aliis habeamus, quandoquidem illa cum crassa Dei ignoratione animoque a vera sanctitate alienissimo conjuncta esse potest. Discamus ex iisdem exemplis cavere, ne Deus ut Ciceronem aliosque ambitiosos & inani sapientiæ suæ opinione inflatos homines in  
teter-



teterrimos ac omnibus vulgi Ethnicorum erratis detestabiliores errores incidere sivit, ita & nos, si similem admiserimus culpam, simili ulciscatur pœna. Denique & hoc inde sumus admonendi, ut ob istam caliginem & pravitatem Gentilium scriptorum Scripturam S. tanto majori in pretio habeamus, atque in legendis profanorum scriptis, animos nostros diligenter præmuniamus, ne qua ex illorum vitiis legentibus hæreat labecula. Qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, colorem ducit: qui inter Nicotianæ herbæ potores sederunt, & paullo diutius sunt commorati adorem secum loci ferunt: & qui nimio studio lectioni Gentilium immorantur, facile aliquid trahunt, quod nocet etiam non animadvertentibus. Novi nonnullos, qui dum Senecæ (quem tamen omnium utilissimum lectuque dignissimum cenfeo) plus operæ navarunt, quam Paulo, multa quidem dedidicerunt consueta vulgo vitia, sed in eorum locum Stoicam quandam austeritatem atque ἀπάθειαν, non solum a seculi nostri moribus, sed etiam ab humili placidoque Spiritu Christi alienissimam, substituerunt.

§. XXVII.

Hæc hæctenus de Gentilibus: in quibus clarius atque purius videre licet, quousq; Lumen Naturale absque Revelato nos queat perducere. Nos enim, quibus jam revelatio uberiorem ac certio rem cognitionem suppeditavit, facile rationes undecunque elicimus, ut ea, quæ ex Scriptura cognovimus, Naturali quoque Lumini consentanea esse ostendamus. Quod quidem in demonstranda etiam adversus Atheos ac Naturalistas *immortalitate animæ* satis pie suscipitur: vix tamen satis feliciter ac fructuose. Nam *Naturalistæ* quidem, Edoardum Herbert de Cherbury secuti, ut Deum, ita etiam præmia



præmia pœnasque post hanc vitam esse, ultro confitentur. Vid. B. avi mei, *D. Job. Musæi* Diff. de Lum. Natur. insuffic. *Atheis* vero quid proderit, scire animos suos esse immortales? An enim propterea præmia quædam, vel pœnas post mortem se consecuturas expectabunt, atque harum metu admoniti a peccatis se abstinerebunt? At certe nec *natura mentium* ullum inter pios impiosque discrimen post obitum constituere potest: nec *judicem* extimescent aliquem, qui Deum existere inficias eunt. Quid, quod ne illud quidem satis evidenter demonstrari potest, quod anima, etiamsi non in nihilum redigatur, nec instar corporis dissolvatur, post mortem aliquid sit sensura & cogitatura? Ex Aristotelis quidem placitis supra §. XIX. memoratis cogitatio & amor, adeoque & intellectus & voluntatis operationes cessabunt. Porro & sectatorum ejus recentissimi cum adversus Cartesianos pugnantes acerrime negaverint, *animas semper cogitare*, ac præcipue in somno profundo omnem cogitationem cessare contenderint: qua ratione quæso demonstrabunt, mentes mortuorum, qui sunt dormientibus simillimi, aliquid sensuras & cogitaturas esse?

§. XXVIII.

Majus negotium facessunt Philosophi celeberrimi, qui subtilissimis argumentis evincere conantur, quod Mentis nostræ dies ac noctes, adeoque in profundissimo etiam somno assidue cogitent, tametsi earum cogitationum obliviscamur, æque ac multarum aliarum, quas vigilantes habuimus. At ego quidem non memini, me unquam aliquid inter vigilandum cogitasse, cujus non proximo temporis momento postquam id cogitaveram, reminisci potuerim: at hoc quidem novi, me, quoties ex somno profundo expergiscor, nunquam re-

E

cordari



cordari posse, quod ullam cogitationem proxime, antequam evigilarem, in animo habuerim. Hinc similitudo illa adhuc difficultate quadam laborat, majori autem ipsa argumenta, ad confirmandam illam sententiam adduci solita: quæ cum clarissima esse fas sit, quandoquidem sensui & consensui omnium fere hominum opponuntur; a re omnium fere hominum opponantur; a re omnium obscurissima, scil. *natura mentis nostræ* deducta esse apparent. Enimvero me ne nunc quidem pudet, ignorantiam meam circa mentis essentiam fateri, exemplo summorum Philosophorum: inter quos haut immerito Heraclitum referendum arbitror, qui animæ naturam tam difficilem perceptu esse judicavit, *ut nunquam possit reperiri, quantalibet quis via confecerit spatia.* vid. Diog. Laërt. in *eius vita.* Huic addo τὸν πᾶν LUTHERUM nostrum, qui Tom. 9. Alt. f. 1386. b. ad XLV. Gen. Die Seele ist ein wunderlich Creatürchen. Es hats zwar Aristoteles nach der speculation leichtlich beschreiben können/was die Seele sey/da er saget: anima est actus primus corporis organici physici &c. aber er kans doch nicht recht ausdrücken/was es sey/ denn allein objective. Ib. f. 7. b. Wissen wir doch selbst nicht waser Art und Antunst die Seele sey. Wir befinden an uns/ daß wir judiciren/ erkennen/ ermessen/ zehlen und unterscheiden können eines ieden Dinges Höhe und Grösse/ ja auch die geistliche Creaturen/ daß ich es also nenne/ böse und gut/ recht und unrecht/ und dennoch können wir noch nicht sagen/was die Seele sey.

§ XXIX.

Proinde non dubito, me facile veniam impetraturum esse, si non confestim pedibus eam in sententiam virorum clarissimorum, qui *Cogitationem actualem essentiam mentis, & propterea mentem necessario semper cogitare existimant.*



stimant. Argumenta quippe, quibus id efficiunt, nondum videntur rem omnem conficere. Quando enim ita concludunt: *sine quocunque mens nostra non potest COGNOSCI, illud est essentia mentis. Atqui cogitatio actualis. E.* tunc in promptu est responsio, majorem non esse universalem: sæpe enim actiones rei alicujus nos in ejus notitiam deducunt, quæ tamen ejusdem essentiam non constituunt. Sic v. g. Deum non cognosceremus, nisi nos resque universas creasset, neque tamen creatio mundi pertinet ad essentiam Dei: Deus enim erat Deus ante etiam, quam crearet mundum. Luna nobis non esset cognita, nisi radios solares ad nos reflecteret: neque tamen istorum reflexio est de essentia Lunæ: Luna enim salva atque integra manet, etiam si v. g. in Eclipsi, nullos reflectat radios solis. Alii sic argumentantur: *id quod PRIMO in mente cognoscitur, illud statuendum venit essentia ejus. Atqui cogitatio. E.* Major quidem hujus Syllogismi est passim in Metaphysicorum libris recepta, sed non in eo sensu, quo a nonnullis huc applicatur. Illi enim expresse testantur, se non loqui de conceptu, qui primus est *ratione nostræ cognitionis*, sed de eo, qui primus *in ordine natura*, i. e. cujus nulla ratio a priori datur, ipsum vero est causa & ratio aliorum, quæ rei illi per se insunt. Unde igitur probabimus, nullam cogitationis rationem a priori dari? an exinde, quod eam ipsi non designare possumus? hoc vero æque absurdum esset, ac si quis ab initio ætatis cæcus audito horologii in cacumine altæ turris positi sonitu concludere vellet, quoniam ipse istius sonitus rationem a priori assignare nequeat, hinc essentiam horologii in edendo sonitu consistere, & propterea resonare illud assidue, quamvis id ipse nescio quibus de causis audire nequeat. Mihi itaque perplacuit modestia



destia doctissimi Cartesiani P. Malebranche. qui, l. III. de in-  
 quir. Ver. c. 1. non quidem quicquam determinare audet,  
 veruntamen se non repugnaturum esse ait, si quis aliquid in  
 Mente velit admittere, quod cogitationem antecedit.

§. XXX.

Alii tale formant argumentum: Sine quocunque mens  
 CONCIPI nequit, illud est essentia mentis. Atqui sine cogitatione.  
 E. Hic puto vacillare Minorem: utique enim Mentem  
 concipere possumus, etiam si eam non tanquam substan-  
 tiam assidue cogitantem, sed saltem ut rem naturali facultate  
 cogitandi præditam, ac, dum vigilamus, actu etiam cogitantem  
 nobis concipiamus. Atq; hoc in sensu Magistri veteres il-  
 lam rationalem dixerunt, non quod perpetuo ratiocinetur,  
 & rationem exercent, sed quod eam exercere possit, tunc  
 nimirum, quando vigilamus, & jam ad justam ætatem per-  
 venimus. Est vero hoc inter errata communia non mi-  
 nimum, quod facultates ac δυνάμεις, i. e. virtutes vel vires  
 semper pro nudis tantum accidentibus habemus, cum  
 tamen ipsa Scriptura de iis tanquam substantiis loqui so-  
 leat. Videatur usus vocis δυνάμεις Matth. XXIV, 29. Marc.  
 V, 30. XIV, 62. Luc. I, 35. X, 19. XXIV, 49 Rom. VIII, 38. &  
 alibi. Neque tamen existimo, facultatem cogitandi præbe-  
 re nobis adæquatum de natura mentis conceptum: quis  
 enim, ut summus Cartesius Resp. ad Obj. pag. 80. ait,  
 ullam unquam rem ita novit, ut sciret nihil plane aliud in ea es-  
 se, quam id ipsum, quod cognoscebat? sed sufficit, nec eos,  
 qui in diversam abeunt sententiam, alium magis adæ-  
 quatum, imo ne talem quidem proferre conceptum, qui  
 cum rei veritate congruat. At, inquit nonnulli, hac  
 ratione sequitur, corpus etiam non actu extensum esse,  
 sed tantum extensum esse posse. Fateor, tunc quidem  
 id sequi, si cogitatio animæ æque essentialis esset, quam  
 exten-



extensio corpori: hoc vero nondum est demonstra-  
tum. Quidam argumenta sumunt a vita Animi: *si enim*  
*vivit, inquit, agit aliquid: Si quid agit, percipit se id age-*  
*re: i. e. cogitat.* At unde probabimus, Animum nostrum  
nihil agere posse, nisi quod *cogitet*, i. e. quod se agere,  
per actum quendam reflexum percipiat? Scholastici  
quidem hac in re nobis erunt faciles, quandoquidem u-  
ni eidemque animæ, quæ *Ratiocinationis* officio fungitur,  
*vegetandi* quoque partes assignant, quæ a cogitatione sunt  
alienissimæ. Mihi certe *voluntas* videtur sæpius aliquid  
appetere, cujus nobis ipsi non sumus *immediate conscii*, i. e.  
(per definitionem cogitationis a Cartesio *Princ. Phil. par.*  
*I. §. IX.* datam,) quod non *cogitamus*. Omnes sane cogni-  
tioni ac emendationi mentis suæ serio intenti fatebun-  
tur, sæpe nos in opere aliquo suscipiendo nihil aliud, quã  
gloriam Dei & salutem proximi *cogitare*, at postea de-  
mum, si jam resipiscens animus sincere secum agere in-  
cipit, deprehendere, quod non tam ad sanctissimos illos fi-  
nes, quos a nobis intendi nobismet ipsis falso persuase-  
ramus, quam ad proprium honorem vel commodum *ta-*  
*citum quendam respectum habuerimus*: atque hæc est præci-  
pua causa, imo summus gradus hypocrifeos, quod homi-  
nes pietatem suam tantum ex *cogitationibus*, quas in cere-  
bro habent, & non ex *tacito affectu cordis*, quo sæpenumero  
*in scii ad malum ferimur*, æstimare solent.

§. XXXI.

Restat adhuc speciosissimum argumentum a Viro quo-  
dam Clariss. ad perpetuam Mentium cogitationem evin-  
cendam allatum: *Si Mens non cogitat, id propterea fiet, aut*  
*quia non vult, aut quia non potest: si posterius, non habet potenti-*  
*am cogitandi, & per consequens non est mens; si prius, jam cogi-*  
*tat, quia velle & non velle sunt modi cogitandi: unde clare sequi-*

E 3

tur,



*tur, Mentem non posse esse sine cogitatione. Sed primum confundit V.C. terminum negativum cum infinito, velle non cogitare cum non velle cogitare; quæ sunt diversissima. Illud enim notat actum voluntatis, hoc contra simpliciter actus alicujus negationem. Itaque is qui vult non cogitare, eo ipso cogitat, at is, qui non habet voluntatem cogitandi, nec tamen expresse cogitat, se non esse cogitaturum, potest utique non cogitare. Deinde nec illud recte a V.C. concluditur, quod Mens, si nonnunquam cogitare non possit, statim amissura facultatem cogitandi, & consequenter non amplius Mens futura sit. Nam v. g. alto sopore oppressi non possumus loqui, & tamen facultatem loquendi eo ipso tempore integram habemus. Tendit huc nota Metaphysicorum distinctio inter actum primum & secundum: nec valet consequentia a negatione hujus ad negationem illius. Nam, ut Piccartus Phil. Altd. Disp. XLI de Nat. Act. Sec. §. 7. ait, quia secundus actus quandoq; sine externis concurrentibus exerceri non potest, idcirco externi adminiculi defectus impedimento potest esse, quo minus actus primus ad perfectionem suam perveniat.*

§. XXXII. Quæritur ergo, an Mens ad cogitandum quorundam externorum concursu indigeat? Recentiores quidem id negant, Aristoteles vero & Aristotelici affirmarunt. Lib. III. de Anim. text. 30. inquit Philosophus: *nunquam sine phantasmate intelligit anima. Text. 39. Qui nihil sentit, nihil utique discet, neque intelliget. Et eum, qui contemplatur, necesse est simul phantasma aliquod contemplari.* Sic etiam B. Hildebrandus in eo ipso libro, in quo immaterialitatem & immortalitatem animæ assertum ivit, Sect. II. §. IV. ait: *Dum anima rationalis corpori humano intima περιχωρησῆς unitur, indiget intellectus objectis sensibilibus, ut ad cogitationem insensibilium adscendat, indiget phantasia, quæ intellectui*  
phan-



*phantasmata materialia subministret ad formandas inde species intelligibiles a materia omni abstractas.* Cel. SCHILTERUS *Manud. Phil. ad Jurisp. Cap. III. §. 17.* Cogitatio humana, inquit, nihil aliud est, quam opus animæ sensitivæ cum mente conjunctæ. Quamquam enim, ait Peucerus, de Divin. p. 127. mens recte inorganica dicitur, tamen dum in hoc hæret carcere corporis, sine ope & ministerio cerebri & spirituum animalium nullas gignit vel expedit cogitationes per sese & sua vi. Atque huic ego libenter accedo sententiæ. Quamvis enim non existimem, Mentem semper *phantasia* ope ad cogitandum indigere: cogitamus enim plurima, etiamsi nullam eorum *imaginem* animo comprehendamus: hoc tamen diffiteri non possum, & quivis facile in semet ipso animadvertet, nullam nos posse cogitationem, intellectu quantum libet puro, producere, nisi aut per *imaginum* aut per *vocum* quarundam agitationem in cerebro; & proinde licet *imaginativæ* auxilio nonnunquam carere possimus, *memoriæ* tamen, varia rerum *vocabula* ad animum reducentis, ope semper indigere. Jam vero, (ut tandem eo redeat, unde huc digressa est, oratio,) *memoria* morte sine dubio extinguitur: quandoquidem sæpissime jam ante mortem ea vel intemperantia vitæ, vel casu quodam ex alto, vel vi morborum, (qui mortis præcursores sunt) si non funditus, attamen magna ex parte deletur. Unde & Medici eam medicamentis reficere & conservare solent: Philosophi, quos scio, omnes illam non ad rationalem ac immortalem hominis facultatem, sed ad sensitivam & cum brutis communem referunt: nam bruta quoque nomina sua & vocem Dominorum memoria tenent, quædam eandem etiam imitantur. Nec obstat, quod multi duplicem homini memoriam attribuunt, aliam intellectualem, aliam sensibilem. Quamvis enim illam intellectualem, si dex-

tre



tre explicetur, negare nolim: scire tamen velim, num memoria illa qualiscunque constantius ac diutius duret, quam sensitiva? si firmior est; quomodo fiat, ut illa tam excellens memoria vel potius, ut ipsi loquuntur, Reminiscencia, non possit nobis vel minimam ullius rei, quam in somno somniis vacuo cogitaverimus, recordationem dare, cum tamen ex ipsorum sententia per totam noctem cogitemus? denique quomodo fiat, ut illa etiam Reminiscencia vi morbi & diuturna cessatione pereat? Nam experientia sane testatur, demonstrationes Mathematicas, ingeniosissimos processus Algebraicos, subtilissimas abstractions & distinctiones Metaphysicas, si per quatuor vel quinque annos non recolantur, ita e memoria effluere, ut vix ullum earum remaneat vestigium.

§. XXXIII.

Si igitur memoria intellectualis æque ac sensibilis fluxa est & infirma, adeoque nihil remanet, quod Menti perpetuam idearum in hac vita acquisitionem promittat: necesse est, ut post obitum, aut nullas prorsus habeat ideas, adeoque nihil cogitet, aut novas demum aliunde accipiat. Jam vero unde illas poterit accipere? an a Deo? recte, si revelationem Dei sequimur; at si solam Rationem naturalem respicimus: hæc utique consilium Dei ignorat, nec aliud fundamentum, quo possit niti, habet, præter solam ipsius Mentis naturam, & de hac ipsa nihil potest cognoscere, præter pauca, quæ ex operationibus, quas in hac vita exercet, colligit. Si itaque attente referamus animum ad originem idearum, quæ Menti in hac vita insunt: facile est ad intelligendum atque ab Aristotelicis jam pridem agnitum, eas omnes quodammodo a sensibus ortum habuisse. Quamvis enim Mens polleat facultate ideas per sensus acceptas multifariam conjungendi, inter  
se com-



se comparandi, ordinandi, abstrahendi ac dividendi, aliasque ex aliis deducendi: non tamen novas plane ac nullo modo per sensus cognitæ ex sese potest producere. Ipsa illa, quam de Deo habemus, idea licet a Dissentientibus plerunque ceu clarissimum cognitionis non a sensibus profectæ exemplum afferatur, revera tamen a sensibus exordium ducit. Nam *inscitum* quidem *vulgus hominum*, dum Deum corporeum & in cælo tanquam solio residentem ac ad nos despicientem sibi proponit, manifeste indicat, se essentiam Dei ex *sensuum externorum* iudicio æstimare. *Eruditi* vero, qui corporeas imagines quavis opera ex cerebro amoliri satagunt, nonne *existentiam* Dei ex earum rerum, quas *vident*, artificiosa structura colligunt? *essentiam* autem illius dum cogitant, tunc quidem illum tanquam ens incorporeum ac *perfectissimum* animo concipiunt, ipsas tamen perfectiones non aliter intelligere possunt, quam ad similitudinem earum, quas in seipsis vel in aliis hominibus sentiunt. Unde & illas, quarum similes nullas in se reperiunt, vel plane ignorant, vel negativis tantum vocibus exprimunt; cum contra in Deo omnia sint maxime positiva atque realissima. *Pii* denique ac ad interiorem Dei amicitiam admissi Deum cognoscunt, prout eum spirituali *sensu* in fundo mentis suæ *experiuntur*.

§. XXXIV.

Objicitur nobis porro, *virtutes utiq; & vitia non sensuum beneficio cognosci: & requiritur, ut dicamus, quem calorem habeat sapientia ac justitia. Quæ quæstio æque incongrua est, ac si quis interrogaret, quemnam colorem sessio, ambulatio, locutio mea habeat; & quoniam harum rerum colorem nullum invenit, negare auderet, eas sensuum ministerio percipi. Neque vero nos ii sumus, qui justitiam & sapientiam sub oculos cadere arbitremur: sed id volumus,*

F

mus,



mus, mentem occasione falsam extrinsecus præbenda ac veluti excitati-  
 one quapiam indigere; qua obtenta, ipsa quidem ex ideis acceptis alias  
 aliasque formas elicere & in hac varia imaguncularum tractatione &  
 compositione lusus suos, more puerorum, instituere queat. Sic v. c. i-  
 psum quidem *Jus in re* non incurrit in sensus: at *obiecta* tamen, circa quæ  
*Jus* illud versatur, *Leges*, secundum quas æstimatur, *actiones*, quibus  
 vindicatur, varii *modi*, quibus usurpatur. Illa itaque omnia & plura alia  
 dum jungit & invicem contendit Mens nostra, ideam *Juris* formare &  
 cogitatione comprehendere incipit. Cum ergo *justitia* sit virtus *Jus* su-  
 um cuique tribuens: manifestum est *justitia* nos nullam habituros fuisse  
 ideam, nisi *sensibus* res aliquas & actiones, ad quas dirigendas *justitia* ad-  
 hibetur, percepissemus. Eodem modo *prudentia* quid sit, ignoraturi es-  
 semus, nisi varias actiones, quas homines ad certas utilitates consequen-  
 das instituerunt, visu cognossemus vel auditu: quas cum ad fines suos  
 apte atque commode ordinatas fuisse intelleximus, enata est primum in  
 nobis *idea prudentie*. Longum esset omnia persequi, quæ prima fronte  
 a quovis alio principio, quam a sensuum perceptione profecta esse vi-  
 dentur, at diligentius animum attendentibus, sine sensuum ministerio  
 percipi non potuisse intelliguntur. Dicam tamen adhuc de *idea chiliogoni*,  
 quam identidem objiciunt nobis Adversarii, item de ea, qua  
*Mens seipsam* cognoscit. Nimirum *chiliogonon* quidem nemo vidit: at  
 videmus tamen alia polygonorum genera, cum quorum idea ideam nu-  
 meri millenarii facile conjungimus: & possemus sane eadem facilitate  
 myriogonon consingere. Denique nec *seipsam* Mens cognosceret, nisi  
 passiones ac operationes suas, quibus varias externarum rerum *imagines*  
 atque *nomina* excipit, retinet, componit, disponit & circumagit, *persen-*  
*tisceret*, atque deinde hanc sensationem actu reflexo sibi repræsentaret.  
 Est enim animus instar oculi, qui licet alia cernat, non tamen tantum  
 valet, ut seipsum videat. Attamen velut oculus radiis a se in speculum,  
 & rursus a speculo ad se reflexis imaginem sui conspicit: sic etiam Mens  
 nonnisi ex reflexionibus operationum suarum sese, & ne sic quidem to-  
 tam, sed tantum ex minima parte cognoscit.

§. XXXV.

Quamobrem, ut tandem concludam hunc locum, si ex natura  
 Mentis (quatenus illa ex naturalibus suis operationibus in hac vita ex-  
 ercitis



ercitis perspicitur) neque ostendi potest, quod illa ideas veteres post obitum retentura, neque etiam, quod, deficiente sensuum ministerio, aliunde novas adeptura sit: sequitur, quod ex eadem non possit demonstrari, Mentem post obitum omnino aliquid esse cogitaturam. Neque vero putandum est, hoc tantum ex *Scholastica* philosophiæ placitis consequi, eos autem, qui *Mentes ex necessitate nature sue assidue sine intermissione ulla cogitare contendunt*, fortius contra Psychopannychitas ex Naturali Lumine pugnare posse. Quid enim dicent illis? nimirum animos etiam post obitum cogitare? Esto. quid tum? Nonne etiam ex ipforum sententia in lipothymia, ac in sopore alto & insomniis vacuo cogitabunt? Quemadmodum igitur efficient, Mentes post mortem aliter esse cogitaturas, quam in animi deliquio vel profundo somno? Mortuo certe nihil similius est homine, qui vel defectione animi, vel gravi somno oppressus est. Unde CICERO, *habes, inquit, somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cum in eius simulacro videas esse nullum sensum?* Multum vero præstant nobis, qui nos post mortem cogitaturas quidem, sed non plus sensus, quam in somno habituras esse conficiunt. Exhorrescent mirifice Athei immortalitatem istam, quæ, uti somnus, nullum inter pios impiosque discrimen facit.

§.XXXVI.

Non est igitur Philosophiæ opus (loquor de Philosophiâ non sancta & ex Divini Spiritus dictamine profecta, sed de vulgari atque ex sola activitate Rationis humanæ oriunda) hujus, inquam, Philosophiæ non est, docere nos *statum anime post mortem*: sed solus ille, immortalis vitæ mortisque nostræ arbiter, Deus, in ejus status, quem pro libera sua voluntate ipse nobis præparavit, cognitionem nos deducere potest: ac deducit etiam vere cunctos, quos non tantum mortua externi verbi littera de statu mortuorum informat, sed vivo τῶν δυνάμεων τῆ μέλλοντος αἰῶνος πρᾶγῳ & supernaturali suæ conjunctionis sensu beat. Hunc igitur qui expertus est, non metuit, ne Deum, cum quo jam in hac vita & *vigilans* & *dormiens* vixit, 1. Thessl. V, 15. cujus non nudum inefficaxq; nomen, sed vivam ac efficacissimam præsentiam sensit, in morte demum amittat: non metuit, ne cessantibus consuetis intellectus nostri operationibus cesset etiam omnis Dei cognitio, a qua omnis pendet animarum piarum felicitas.



ras. Novit enim, experientia edoctus, veram vivamq, Dei agnitionem & contemplationem non consistere in imaginibus cerebri & agitatione vocabulorum humanorum: sed in *amore* erga Deum spirituali, in *verbis ineffabilibus*, in *spiritu & veritate*: cumq; in isto statu interdum jam amoenissimos essentialis Dei gloriæ radios acceperit; facile inde colligit, qualis sit illius longe perfectioris, quæ post mortem nos manet, visionis beatitas futura, in qua sine phantasmatibus atque vocabulis contemplabimur Deum, eumq; præsentem oculo spirituali tam clare intuebimur, quam Solem nunc oculo corporali intuemur & cognoscimus, etiamsi nullam ejus imaginem, nec ullum Solis nomen in cerebro circumagamus. Hinc etiam *gaudium & tranquillitas* ex illa contemplatione orta non quidem *effusum placidumq; motum sanguinis* (quem alias gaudium ac *ἐὺδυσία* appellamus) efficiet; *caro enim & sanguis non erunt participes regni Dei*: sed cum in hac vita, tum etiam multo magis in altera beatissima *pax Dei* erit *ὑπερέχουσα πάντα νοῦν*, *superans omnem* non modo phantasmam, sed & *intellectum*. Ceterum ad universam hanc causam illustrandam, multum facit effatum Pauli, qui 2. Cor. V, 1. 2. 4. ait, *nobis, si TERRENUM HOC DOMICILIUM TABERNACULI dissolutum fuerit, paratum esse aliud DOMICILIUM, quod EX COELO, & tale quidem sit, ut eo superinduendi simus*. Unde nova ratio patet, qua mentes nostræ a terrenis hisce corpusculis separatae operationes suas æque ac antea continuare possint: sed hæc *μουσιώτερα* sunt, eorumque iudicio relinquenda, quibus Deus luculentiorum venturæ beatitudinis notitiam dedit: monenda tamen erant brevissime, ne quis iis, quæ superius disputavi, male intellectis ad Psychopannychitarum errorem defendendum abutatur.

ÆTERNO DEO ÆTERNA SIT GLORIA!





DD A 6307

ULB Halle 3  
002 937 14X



88

V 17

Reho ✓









29

DISSERTATIO POSTERIOR  
**IMBECILLITATEM**  
LUMINIS NATURALIS

in demonstrando  
**STATU MENTIS HUMANÆ**  
POST MORTEM

uberius coarguens,

Quam

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**FRIDERICO WILHELMO,**

MARCH. BRANDENB. & ELECTORAT. HEREDE.

&c. &c. &c.

*suffragante Amplissimo Ordine Philosophico,*

**PRO LOCO**

in Eodem rite obtinendo,  
piæ Eruditorum censuræ submittet

**M. JOH. GVILIELMUS à LITH,**

Onolzbaco-Francus,


RESPONDENTE

**HENRICO FRIDERICO EGERO,**

Gotha-Thuringo,

a. d. Aug. M DC XCVIII.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



uuro  
a app  
nerfi  
E,  
um,  
crut  
um  
licit  
uint  
prun  
est  
ICI

